



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Ægidius Confess. 1. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)



S E P T E M B E R.

S. ÆGIDIUS CONFESS.

1. Septembris.

*Omnia qui se exaltat humiliabitur:
& qui se humiliat exaltabitur.*

LUC. 14.

Stemma in ÆGIDIO regium indoles mu-
nifica prodidit. Nam puer prætextam
exuit, ut pauperem agrum indueret. Et hic
quidem morbum cum centonibus posuit, ac
ille nudus cætera, ut virtutum miraculum
saltem regeret, ablatam sibi vestem à nescio
quonon satis noto homine pie commentus
est. Eodem scilicet furto assem omnem pater-
num abstulerunt egeni, quando Gallias Æ-
GIDIVS petiit, & post multa prodigia eas-
dem cum cerva latebras habitavit. Atque, ut
qui Matrem deseritis, alia coelo ubera esse
sciatis, hæc famelico eadem cerva præbuit.
Exclamare hic Roma potuisset: ecce! fera
hominis hospes: ecce! homo feræ Asy-
lon. Etenim cum nutricem frequens Ve-
natorum corona cingeret, tutelam sinum

K 4

ÆGI-

ÆGIDII & preces habuit, quibus ad teli ja-
ctum damnati canes allatrare prædam potue-
runt non prehendere. Ipse Rex Clodoveus li-
bertatem cervæ, ÆGIDIO fortuitâ sagittâ
tunc vulnerato cœnobium, cœnobio dotem
regiam donavit, sibi unam erroris veniam
oravit. Et verò non hujus modo sed gravio-
ris etiam sceleris impetravit, quod quidē stu-
diosè ille occultavit, sed ÆGIDIUS, sub divinis
schedâ annotatum è cœlo accepit, nunquam
delendum, nisi stylum Rex vertisset, Divus
porrò noster satis jam à terra lactatus ad pe-
rennes beatitatis fontes contendit, quos a-
deò appetivisse quid mirum est? à Nutrice
sua Cervæ sitim hanc bibit. *Ex Lippeloo, & Pe-
de Natal.*

MEDITATIO

De cognitione Vilitatis humanae.

1. **C**onsidera te summâ Dei bonitate ex nihilo et
ductum esse, & te dignum esse peccatis tuis
qui perpetuis ignibus damneris: & jam iis ignibus
cruciareris, nisi Deus misertus esset tui. Quid ergo
quereris, si quos honores ambis, ii tibi denegentur?
an tibi fit injuria? O homo! nosce te ipsum, nosce
vilitatem, nosce malitiam tuam, nam *omnium discipli-
narum pulcherrima est, se ipsum nosse: si quis se ipsum norit,
Deum cognoscat.* Clemens Alex.
2. Ex his duobus Principiis quæ solida sunt veræ
humilitatis fundamenta, hæc duo inferas oportet,

alterum gaudendum tibi esse, si quando ab aliis nihil pendaris, pluris siquidem non vales, alterum ægrè admittendos esse honores, cum clarè nôris iis indignum te esse, nullam itaque honoris adipiscendi venêris occasionem. Ne respicias virtutem tuam, egregias dotes? recte facta: sed considera nihilum tuum, & peccata tua. *Soli electi bona sua non vident, qua in se vivenda omnibus ad exemplum præbent.* Gregor.

3. Cum demum te (ut dictum est) depresseris, cave putes grande quidpiam fecisse; etenim quidquid dixeris ad tuam depressionem, veritatem attigisti, non explêsti, quidquid feceris, vix tuo functus eris officio, erisque semper servus inutilis.

S. JUSTUS EPISC. CONF.

2. Septembris.

Qui justus est justificetur: & sanctus sanctificetur adhuc. Apoc. cap. 22.

Multi JUSTI nomen habent, rem non habent. Hic in infantia JUSTUS fuit, cum parentem injustè adulterii suspectam, defendit, mox ab ortu suo, prodigiosè loquendo, te status, comitem Andegavensem, matris suæ legitimum conjugem, patrem suum esse. Et hæc crediderim origo est, unde omnes, ex illustrissima comitum Turnensium familia, ab hoc JUSTO, JUSTI cognomen

K 5

men